

Paschatis et SS. Trinitatis, quod ad hoc statutum attinet, pro uno reputatis,) scilicet per sex septimanas in utroque termino, et bis ad minimum in unaquaque septimana: atque insuper per sex septimanas unius alicujus termini bis ad minimum in unaquaque septimana per unius horæ spatium vacet instruendis auditoribus in iis quæ melius sine ulla solennitate tradi possunt, discipulorum profectum quæstionibus statim enucleandis ad examen revocet, et iis exercitationes, si ipsi ita libuerit, domi in scriptis tractandas proponat.

3. Lectionum materies esto jus Anglicanum ejusque fontes et historia, adhibito etiam inter docendum Jure Civili, quatenus ad eam rem tractandam pertinet.

4. Teneatur insuper professor quotannis in uno termino lectionum seriem in Jure Civili legere, nimirum per sex septimanas semel ad minimum in unaquaque septimana, nisi aliter statuerit academia, de qua re statuendi academice copia esto.

5. Unam porro ad minimum lectionem quotannis publice habeat, ab academicis quibuscunque sine mercede audiendam.

6. Ex auditoribus ne plus exigit mercedis quam ab Universitate permissum fuerit.

7. Si evenierit ut professor ad tempus valetudine impediatur quominus officio suo fungatur, aut si ei necesse fuerit præscripto legendi tempore propter causas urgentes et Vice-Cancellario probatas extra Universitatem morari, ei deputatum idoneum et Vice-Cancellario probatum, qui professoris muneribus durante infirmitate aut absentia fungatur, nominare liceat; id quod exigere poterit Vice-Cancellarius, si sponte professor in hac parte statuto non satisfecerit.

8. Si professor senio, morbo diuturno, incurabili impotentia, aut debilitate vel animi vel corporis fractus, suæ professioni perficiendæ non suffecerit, virum secundum ea quæ in hoc statuto decernuntur idoneum, qui professoris muneribus fungatur, iis quibus professorem ipsum eligendi cura delegata est, rem proponente Vice-Cancellario, nominare liceat. Si quando deputatus nominatus sit, determinet Vice-Cancellarius quantum ex professoris emolumentis deputato persolvendum sit.

9. Si quid statuerit academia de materie, numero aut tempore lectionum, de rationibus docendi, aut de auditoribus examinandis, id observet quicumque tum erit professor. De his rebus statuendi academice copia esto.

10. Ne alia quapiam professione eodem tempore fungatur professor, nisi in id consenserit academia.

11. Professore pendatur quotannis totum quod supererit de proventibus Vinerianis, solutis prius scholarum stipendiis. Pendatur etiam professori quotannis (quoniam principalis et socii collegii Jesu in hoc consenserint) summa CCL librarum, academice et proventibus prædicti collegii persolvenda. Augeantur etiam professoris emolumenta ad DC librarum summam et cista academica, nisi ei aliunde ea summa, (præter feoda legitima) annuatim accreverit.

12. Professor si insigniter negligens in officio suo, vel notabiliter insufficiens fuerit, vel si pravis moribus academiam dedecoraverit, vel si statutis ad ipsum spectantibus morem gerere recusaverit, Vice-Cancellario rem proponente, prius conventus, auditus (si ipsi libuerit), et convictus, admoneatur, vel etiam, si aliter malo occurrere non possit, a munere suo moveatur per Vice-Cancellarium et delegatos appellationum in Congregatione aut majorem partem eorum.

2. De scholaribus.

1. Tres sint scholares Vineriani. Horum unusquisque percipiat quotannis octoginta libras, et post triennium absolutum beneficio suo cedat.

2. Si quis scholaris, quacunque de causa, beneficio suo cesserit ante absolutum triennium, stipendii ejus quod supererit insequenti anno, vel insequentibus annis, professori pendatur, ad summam annuam DC librarum adimplendam, ne cista academica plus æquo prægravetur.

3. Eligatur quotannis in termino S. Hilarii, die a Vice-Cancellario constituenda, unus scholaris et non plures, post examinationem habitam eo consilio ut qui dignissimus sit cæteris præferatur. Candidatus unusquisque, venia prius a præfecto collegii vel aulæ suæ, vel ab ejus deputato, impetrata, nomen suum apud examinatores profiteatur, triduo ad minimum ante examinationem habendam. Electores sunt Vice-Cancellarius, professores quotquot erunt in facultate Juris, necnon examinatores publici in schola jurisprudentiæ et historiæ modernæ. Hi singulis annis, termino S. Michaelis si commode fieri poterit, tres examinatores, quorum unum saltem e suo ipsorum numero esse volumus, nominent. Materies examinationis sit Jus Civile, jus belli ac pacis, jus naturæ ac gentium, ac speciatim jus Angliæ et publicum et privatum.

4. Scholaris ne eligatur nisi qui duos ad minimum annos a tempore matriculationis suæ compleverit, necdum sex annos ab eodem tempore excesserit. Quilibet præterea scholaris, si nondum advocatus in jure Anglicano renuntiatus fuerit, Vice-Cancellarium quotannis certum faciat se nomen registro hospitii alicujus jurisconsultorum Londinensium inscriptum habere, vel saltem se legum Angliæ studio bona fide incumbere.

5. De forma, tempore, et materie examinationis, de examinatore, de conditionibus scholarium, liberum esto academice aliter statuere si profuturum esse ei videbitur.

6. Si quis e scholarium numero pravis moribus academiam dedecoraverit, vel statutis ad ipsum spectantibus morem gerere recusaverit, beneficio suo privetur per Vice-Cancellarium et delegatos appellationum in Congregatione, vel majorem partem eorum.

7. Scholaribus qui nunc sunt sua jura prorsus reserventur; commodis quoque hujus statuti gaudere iis liberum esto, exceptis modo commodis quæ ad summam stipendii pertinent. Scholarium trium de quibus supra provisum est eligatur primus in termino S. Hilarii A.D. 1868, secundus vero A.D. 1869, tertius paritur A.D. 1870.

3. De lectore eligendo si prælector qui nunc est professoris munera non susceperit, et de lectoris muneribus ac emolumentis.

1. Prælectori qui nunc est copia detur eligendi intra certum tempus—nimirum intra trimestre spatium ex quo hoc statutum regia auctoritate comprobatum fuerit—utrum legibus ac conditionibus hujus statuti sese subjicere velit, necne. Si intra tempus prædictum Vice-Cancellarium scriptis certiore fecerit se paratum esse professoris munera prædicta suscipere, subinde ei emolumentis prædictis fruendi jus esto: sin aliter, jura sua ac munera hodierna ei reserventur et immutata maneat; summam CC librarum, et non amplius, iisdem quibus hodie conditionibus, annuatim percipiat. Quam cito commode poterit postquam prælectoris qui nunc est vacaverit locus eligatur professor Vinerianus secundum leges hujus statuti. Interea, donec vacaverit professoris locus, eligatur identidem, ab iisdem quibus professorem eligendi officium hoc statuto delatum est, (adscito quoque prælectore Vineriano) lector Vinerianus, qui locum suum in triennium obtineat. Lector, tempore electionis suæ, sit ad minimum Magister Artium vel Baccalaureus in Jure Civili intra hanc Universitatem constitutus. Auditoribus instruendis det operam per sex septimanas in